

Heinrich Engelbert Schwarz

**Dissertatio Philologica De Christo Consiliario Patris Unico Optimo Secretissimo  
ad vaticinium Isaianum Cap. IX. vers. 5.**

Lipsiæ\$[n[Verlag nicht ermittelbar], MDCCXLI

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn879368268>


Druck Freier  Zugang






13/27 a. B.  
48. b. 8.

Fa-1092 (II.)













27.

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> PHILOLOGICA<sup>27.</sup>  
DE  
CHRISTO CONSILIARIO PATRIS UN  
CO OP<sup>T</sup>IMO SECRETISSIMO  
*ad vaticinum Isaiatum CAP. IX. vers 5.*  
QUA  
PER ILLUSTRI EXCELENTISSIMO  
GENEROSSISSIMO  
D O M I N O  
DNO. CHRISTIANO  
GOTTLIEB<sup>DE</sup> HOL  
ZENDORF,

DYNASTÆ IN BÆRENSTEIN ET LICHENAVIA SUPERIORI  
ATQUE INFFIORI &c.

AUGUSTISSIMI POTENTISSIMIQUE SARMATARUM  
GIS ET SERENISSIMI SAXONUM ELECTORIS CONSILIA  
SANCTIORI PROT-HAGIO-SYNEDRII PRÆSIDI GRAVISSIMO, CUBIC  
REGII COMITI FULGENTISSIMO NEC NON COLLECTORI RED  
TUUM PUBLICORUM SUPREMO

DOMINO AC PROMOTORI SUO  
GRATIOSISSIMO

DE NOVA PURPURATI DIGNITATE


*submissa & pienissima mente gratulatur*  
devotissimus coram Deo intercessor & subiectissimus servus

*M. HENRICUS ENGELBERTUS SCHWARZIUS*  
Dresena- Mifnicus.

V. D M. apud Groszschocheranos  
Lipsiæ accolas.

LIPSIAE, A.R. S. MDCCXL.

44.  
44.  
41.  
40.  
39.  
39.  
34.  
36.  
36.  
35.  
28.  
29.  
30.  
31.  
3.



PERILLUSTRIS EXCELLEN-  
TISSIME GENEROSISSIME  
DOMINE GRATIOSISSIME,



Ommuni illo & incredibili gaudio,  
quo exoptatissima summi honoris,  
ad Te noviter delati, fama, Saxo-  
nicarum nostrarum Ecclesiarum  
symmistas, quin imo clientes ad unum omnes,  
permulxit, & me affectum atque correptum de-  
prehendo. Qui enim, sub umbraculis sancti il-  
lius concilii, ad cuius gubernacula, TE a CLE-  
MENTISSIMO PATRE PATRIÆ dudum  
admotum, hactenus submisso cultu & veneratio-  
ne prosequuti sumus, ego sigillatim pusillus &  
initium & finem meorum studiorum habui, ab  
eodemque Reverendissimo Synedrio in Academiis  
enutritus, variis beneficiis auctus, quin & hono-  
ribus cumulatus fui, obstrictum quin obstrictissi-  
mum, me judico, publicum quoddam testimo-  
nium edere. de pietate & devotissimo cultu.

44.  
44.  
41.  
40.  
39.  
39.  
38.  
37.  
36.  
28.  
35.  
29.  
34.  
30.  
31.  
3

quem & TIBI debo, utpote, præsenti tam augu-  
stæ & splendidissimæ sedis, summo, pientissimo  
& prudentissimo Directori. Et cum in TUAM  
pervenienti notitiam, ast, o quæ fe icitas ! qua  
me hæc tenus orbatum, plango, nulla unquam mi-  
hi data fuerit facultas, hanc, quæ mihi se offert  
occasionem, vacuam relinquere, religioni luxi.  
Hinc insignem illam lætitiam, qua de nova pur-  
puræ accessione, quæ TIBI nuperrime obtigit,  
me cumulatum, profiteor, TIBI vel paucissimis  
& humillimis hisce lineolis declarare, deque  
ea toto corde gratulari, mihi temperare neuti-  
tiquam potui. Adjungo me Musis exultantibus  
& tripudiantibus, de Apolline suo, nova lauro  
cincto. Aram TIBI in cordis mei penetralibus  
dudum exstruxi, jam publice thura flagrantissi-  
morum meorum suspriorum, quæ in ea accen-  
di, propono, tum pro incolumitate perpetua,  
tum pro immortalitate & æternitate gloriæ  
**TUÆ, & GENEROSISSIMÆ PROSAPIÆ.**  
Et cum holocausta & oblationes nostræ in odo-  
rem suavitatis alia ratione non evadant, nisi per  
& propter Dominum nostrum **JESUM CHRI-  
STUM**, incidi in argumentumquoddam Theo-  
logicum, cuius ponderatio, sicuti **Consiliario**  
**Parisi**

Regio perjucunda, ita etiam solatii manet plenissima. Nolo tantæ reus fieri temeritatis, ut eum TIBI demum commendem, cum quo TE arctissime conjunctum & intime adunitum, ex indefesso pietatis studio, assidua religionis cura, & purioris cœtus Christi protectione, nec non fulgentissimo virtutum Christianarum, in TE coruscantium splendore, colligunt omnes. Absit etiam, ut vanis me ipsum fallam blandimentis, me vaticinium illud, in quo enucleando operam meam colloco, ita illustraturum, ut nova quasi ex hac mea opella oriatur lux, cum divina animi TUI vis, ingeniique TUI opes clavem optimam & certissimam subministrare queant ad referenda mysteria cœlestia, in effato Isaiano recondita. Neque Panegyricum, quem excelsa virtus TUA, & immortalium meritorum se in curias regias, ecclesiam, Academias, scholas & universam patriam longe lateque diffundentium, celebritas expostulat, conscribere satagam propterea, quod, ut quisque heros togatus laude dignissimus est, ita minime libenter laudes suas audire consuevit. Prætereo, me huic negotio confiendo longe imparem esse, quin longe indignissimum. Hinc Herculeum illum laborem intentatum relin-

41.  
42.  
41.  
40.  
39.  
39.  
38.  
37.  
36.  
28.  
35.  
29.  
34.  
30.  
31.  
3.

quens, hunc tantummodo mihi præfixum habeo  
finem, ut specimen quoddam lucubrationum  
mearum, oculis TUIS humillime subjiciam, Ei-  
que fulgentissimo, Potentissimi Monarchæ nostri  
purpurato, cuius Antecessorum Illustrissimorum,  
partim etiam Beatisimorum, gratia semper fui  
adjutus, & contra malevolorum, me undiquaque  
invadentium, consilia, benignissime protectus,  
rationem quandam privatæ meæ industriæ red-  
dam, nec non tenuitatem meam devota mente  
flebilique voce commendem, maxime ideo,  
quia huic in sanctæ TUÆ sedis patrocinio  
permansi. Sin vero, ut probe mihi conscius  
sum, PER ILLUSTRIS ac EXCELLENTIS-  
SIME DOMINE, ea, quæ scripsi, expectationi  
TUÆ non respondere videantur, indulgeas ta-  
men conatui & ignoscas ingenioli mei tenuissi-  
mis viribus, quandoquidem mihi non licuit esse  
tam felici, in hac dicendi docendique exercita-  
tione ætatem consumere. Nihilo tamen mi-  
nus longanimitate TUA confisus, bono ani-  
mo ad institutum, me accingo. Cœpta secun-  
det & evenire jubeat DEUS feliciter!



JESAI. XXXIII, 22.

יהוה שפטנו יהות מחזקתנו יהות  
מלכנו הויזישענו

§. I.



Niversæ Sacro-Sanctæ Scripturæ divinitus Scriptura  
inspiratæ, τέλος σπουδιών των seu ultimum S. multa  
scopum, specialissimum objectum, prin- Christo  
cipale argumentum, primarium & præci- tribuit ne-  
puum finem, & quasi nucleus atque cen- mina.

trum esse, JESUM CHRISTUM, apud omnes qui Dominus huic suo, nomen dederunt, est extra controversiam. Unde etiam factum, ut viri οἰόπνευστοι, ut accuratam & ad salutem per necessariam cognitionem, hominum animis instillarent, & cordibus quasi inscriberent, ipsum permultis significantissimis & maxime emphaticis nominibus commendare voluerint. Non solum Novum Testamentum, sed Vetus etiam abundat ubique ejusmodi appellationibus, quibus Jesus Christus ad vivum quasi ob oculos nobis depingitur, ut magnus ille gentium doctor loquitur Galat. III, 1. Primas Summis tenet dubio procul inter omnes futuri Immanuelis descri- Jes. IX, § ptiones, vaticinium illud Isaianum quod Cap. IX, 5. adinvenire, & ex eo extantiora Ejus nomina ediscere licet. Hoc quidem totum in fontibus ita se habet:

וְלֹךְ וְלֹךְ לְנֵזֶן מִתְּלִינָה וְתִּיהְשָׁרֵה עַל שְׁכָנוֹ וְקָרֵא שְׁמוֹ פְּלֹא וְעָצֶל גְּבוּרָה:

Hoc est, ex mente IMMÆNUELIS TREMELLII, & FRANCISCI FUNII: Puer natus est nobis, filius datus est nobis, cuius humero adsit principatus; cuius nomen vocat, (Jehovah) admirabilem, consiliarium, Deum fortissimum, parrem eternitatis, principem pacis,

§. II.

44.  
42.  
41.  
40.  
39.  
49.  
38.  
37.  
36.  
28.  
35.  
29.  
34.  
30.  
31.  
3.

## §. II.

Iesiae no-  
 tales. Ante omnia, ut in hoc penso enucleando progressus eo  
 feliciores faciamus, autoritatem hujus divini scriptoris in-  
 quiramus. Si genus ejus atque familiam scire aves, JESAIAS  
 ex regia fuit tribu Juda, adeoque ME-SIÆ cognatus, &  
 typus evidentissimus. Hinc etiam nomen, Jesu nomini,  
 affine, habebat. *Enim vero νῦν vel brevius νῦν ex radice*  
 autoritas. *γεράσιον salus & νῦν Dominus, conflatum, sicque noster propheta*  
*audit: salus Domini, vel saluti fuit Dominus, item etiam:*  
*Saluavit Dominus.* Et summo utique jure ita dicebatur, qui  
 de salute & salvatore mundi, omnium luculentissime & fre-  
 quentissime vaticinatus est, ita quidem, ut piæ antiquitatis  
 doctoribus, CYRILLO, HIERONYMO, AUGUSTINO,  
 aliisque, non Propheta tantum, sed etiam *Evangelista & Apo-*  
*stolus V. T. salutetur.* Si totam ejus scriptionem a capite ut  
 ajunt, ad calcem examines, adinyenies in omnibus paginis,  
 nonnullos interpres summo jure meritoque Jesaiam co-  
 gnomine τὸ μεγαλοφωνάτος insignivisse, quandoquidem  
 disertus & nervosus, sublimis atque magnificus, quin gran-  
 diloquentissimus est orator, in cuius librum incidit nulla vox  
 sine pondere, nulla locutio sine argutiis, nulla prophetia sine  
 aculeis. Mox allicit, difficillima dognata methodo planissi-  
 ma proponendo, mox excitat & efficacissime movet ad-  
 hortando, mox detonat & terret puniendo, mox reficit &  
 recreat consolando, mox in stuporem rapit, visiones suas  
 communicando, mox aculeos in mente audientium legen-  
 tiumque relinquit prophetando. Sicuti vero vix paginam,  
 ne dicam, vix comma quoddam in tota prophetia animad-  
 vertes, ubi non de venturo Messia ita vaticinatus fuerit, ut  
 videatur dudum jam advenisse, ita etiam idem judicium ferendum  
 est de ea enunciatione, quam notulis nonnullis illustrare  
 aggredimur. Ideo etiam ipsemet Christus in Synagoga  
 Nazarethana hunc prophetam publice prælegere non du-  
 bitavit, ut Lucas testatur Cap. IV, 17. Et camerarius Reginæ  
 Indicæ sibi habebat persuasissimum, se ex hoc propheta de  
 persona & merito Christi saluberrimam doctrinam facillime  
 hausturum hinc scrutabatur eundem in itinere constitutus.  
 Act. VIII, 30. Taceam, quot vicibus Jesaias citetur a divi-  
 nis N. T. scribis ad confirmandam Christianismi doctri-  
 nam.

& scopus  
 Christus.

§. III.

## §. III.

Repudiamus & execravimus merito omnium Messiae hostium pseudhermeniam, qui de Hiskia s. Ezechia accipere volunt nostra verba, totumque adeo vaticinium corrumpunt. Vindictio propheticæ non ad Hiskiam  
 Dicunt enim non Rabbini tantum sed etiam alii nonnulli Socinianizantes & Judaizantes paraphrasæ, entheum virum promisisse tristis suo populo tempora, sub quodam felicissimo rege propemodum aurea, sub futuro quodam eorum principe mox nascendo, scilicet Ezechia, illum indicasse & dixisse quasi monstrasse, absentem adhuc, tanquam praesentem, nascendum ut jamjam natum, & exsultasse: *Age dulcis patria, pelle metum, fuga tristiciam, collige animum: PUER NATUS EST NOBIS, filius scilicet regius*, utpote Ezechias, qui vocabitur MIRABILIS, (vel propter miraculum ad petitionem ejus patrandum, 2. Reg. XX, 2-6 vel ob summas in eo conspicendas dotes, præclaras virtutes & deportandas victorias,) nec non CONSILIARIUS, a consilio, quod cum principibus cepit de cultu Dei & tutela urbis, 2. Parallel. XXIX. 4-II. At enim vero ubi est vel minima Hiskiæ mentione, in toto hoc IX. aut antecedenti capite, cum quo tamen praesens indissolubili nexu cohæret? Impia igitur omnino est & absurdum horum sententia hominum. Cœci sunt & cœcorum daduchi ita somniantes, nec videntes, quem crassum errorem chronologicum errant. Quandoquidem Hiskias, filius Ahasi, regis Judæ 2. Reg. XVI 1, i. cum patris sui solium concenderet XXV. annos vivendo attigerat 2. Reg. XVIII, 2. & Ahazum annos tantum XVI. regnasse 2. Reg. XVI. 2. legitur, ergo Hiskiam oportuit jam IX. annos natum fuisse, cum Ahaz pater regnare inciperet. Porro prophetæ Isaianæ, quæ extant. Cap. VII. usque ad XIV. 28. factæ sunt Ahaso jamdum regnante, ut patet ex Jasai. C. I. i. nec non VII. i. Hinc sequitur Hiskiam dudum fuisse natum, antequam Vates noster pueri futuri nativitatem partim Cap. VII, 14. Sed Christum referenda. partim etiam nostro loco C. IX, 5. prædiceret. In hujus argumenti ulteriori pervestigatione, nobis statim se offert graphicæ descriptio felicissimorum N. T. temporum. Omnis tollitur contradictione, si evolvamus codicem ipsum hujus secedis & sigillatim Matth. IV, 12. 15. 16. ubi eadem nostra prophetæ Isaiana citatur ut impleta per adventum Christi, ut nihil addam de testimonio antiquissimorum Judæorum, qui hunc locum

)( )(

locum

locum unanimi consensu de Messia intellexerunt, ut liquido constat ex *Targum*, cuius verba excerptit JACOBUS ALTINGIUS in *Schilo Libro IV. C. XV.* p. 274. Et bone Deus! cuinam personæ mere humanæ, attributa hæc magnifica competere possunt, quando nominandus dicitur nascendus puer: *אֱלֹהִים בָּרוּ אָבִינוּ עָשָׂה שֶׁלּוּתָם Deus fortis, Heros maximus, pater æternus, princeps & Autor pacis?* Certe in neminem quadrare possunt quam in Dominum Messiam Θεάνθεωπον.

## §. IV.

*Confedera-  
tio gene-  
ralis to-  
ius loci.*

His ita disputatis, perpendamus accuratiōri mentis lance: totum nostrum locum in sua cohærentia. Primo statim intuitu deprehendemus propositionem bimembrem. Altera hæc est *אֱלֹהִים בָּרוּ אָבִינוּ עָשָׂה שֶׁלּוּתָם*, quæ indicat humanitatem, *puer natus est nobis*, nempe qua naturam humanam, ex Maria virgine in plenitudine temporis, Gal. IV, 4. quemadmodum altera locutio *אָבִינוּ עָשָׂה* innuit ejus divinitatem, qua venerandus nobis est ut *filius Dei* vivi unigenitus, nobis a Davide Ps. II, 7. jam descriptus. Secundum hanc divinam naturam non est factus aut natus in tempore, sed generi humano a Patre datus atque donatus, quod ipse met confirmat Joh. III, 16. & eo respiciens, in colloquio cum Samaritana muliere se nominat *δαπεὰν τὸ δόγμα seu donum Dei*, Joh. IV, 10. Reliqua prædicata quæ insequuntur *אָבִינוּ עָשָׂה שֶׁלּוּתָם* וְהַתְּהִרְאָה עַל שְׁכָנוֹת וְקָרְאָה שְׁמוֹ פָּנָא יוֹעֵץ אָבִינוּ עָשָׂה שֶׁלּוּתָם officium ejus mediatorum explanant, quod sustinuit secundum utramque, divinam pariter atque humanam naturam.

## §. V.

*Specialior,*

*לְאָמֵן*

Et nos quidem missis jam reliquis nominibus, quæ dum exercitatisimi Theologi evolverunt, v. g. FRANCIUS, OSIANDER, TANCKENIUS, SCHAREFIUS & JUNGSTIUS, nec non FRISCHMUTH, de *prosopographia Messiae*, MISLENTA de *genethliaco puerili Jesu* HOLDERRIEDER de *nativitate Messiae*, delestatum signillatum charactere CONSILIARI. Nomen præcedens & primum erat *אָבִינוּ עָשָׂה mirabilis*, quod Christo rectius competit quam Hiskiæ. Est enim hic Deus noster mirabilis, non tantum ratione personæ, in qua duæ naturæ artis-

arctissime sunt unitæ, sed etiam ratione officii triplicis, quo potentiam suam semper vicitricem, sapientiam nunquam non stupendam, & bonitatem in omnibus & apud omnes superabundantem, affatim manifestavit. Accedit etiam status duplex exinanitionis & exaltationis, & uterque denuo cum variis suis actibus. Non dicam, de arcana essentia ediscerere vatem tantum, sed etiam respicere ipsum ad signa & miracula maxima, quæ copiosissime edidit quum ambularet in terris. Ipse cum Manoah appareret, & hic sciscitaretur, quale ipsi nomen esset, se ita appellavit: *Et quid interrogas de nomine meo: נָהָרָה וְהַזְּבָחָה & hoc ipsum est mirificum.* Jud. XII. 18. Hæc quidem ideo de priori cognomine Messiae præmittenda duxi, quia interpretes non Hebræi tantum, & οὐδὲν sed etiam ex nostratis non pauci, binas has voces οὐδὲν οὐδὲν conjungunt, ac si οὐδὲν esset adjectivum τὸν οὐδὲν ut ex eorum opinione Christus nobis considerandus veniret, ut *Consiliarius mirabilis* seu *admirabilis*. Evidem cum analogia fidei hoc non pugnat. Christus enim pro mirabili consiliario a nobis omnibus habetur, quum ejus consilia omnem humani sphæram intellectus transcendent, & mirus quin mirificus semper fuerit in suis consiliis, qua de re infra pluribus agemus. Sed accentuatio talem amborum verborum nexum non permittit. Enim vero οὐδὲν habet ducem paschta (') qui nunquam comitem recipit Tlischagdola (') & hoc tamen Expressæ distinguitur vox antecedens οὐδὲν adeoque unumquodque est substantivum & distinctum aliquod nomen, Domino nostro proprium. Subsistimus igitur in τῷ οὐδὲν quod a radice Ebræa οὐδὲν *consuluit*, descendens, a LXX. Interpretibus μεγάλης βελῆς οὐγγελος magnus angelus Consilius, ab aliis metaphraстis σύμβολος, i. e. qui consilium dat, SYMMACHO βωλευτικός & Meglandro nostro Lutherò reellitum per voculam Germanicam Rath exprimitur.

S. VI.

Idem quidem nomen οὐδὲν & aliis, in paginis sacræ tribuitur bene multis. Sic Ahitophel etiam fuisse dicitur οὐδὲν <sup>Specialis-</sup> <sup>fina</sup> sed additur οὐδὲν Dāvidis. Alia ratio est in nostro vaticinio, ubi simpliciter, absolute & sine appositione, Christo tribuitur οὐδὲν οὐδὲν οὐδὲν. Quod *consiliarii* & *consilii* omnibus numeris absolutissimi nomen & ipse sibimet vindicat Prov. VIII, 14.

15. 16. 2.

44.  
44.  
41.  
40.  
39.  
49.  
3.  
33.  
36.  
28.  
35.  
29.  
34.  
30.  
31.  
3.

מִבְּרִיתְמִי כִּי כִּי mibi est consilium & essentia, quod LUTHERUS significanter ita vertit: Mein ist beyde Rath und That, & Jerem. XXXII. 19. dicitur; מִבְּרִיתְמִי כִּי כִּי Magnus consilio & mulius opere. In quibus transferendis verbis modo laudatus pater noster se itidem artificem præstítit: Groß von That und mächtig von That.

§. VII.

*Ergo Christus Consiliarius Dei Unicus Optimus Seceris mss.* Equidem Deus ipse sapientissimus nullius indiget consilio. *Quis expandit viam Jehovæ, ut sit vir a Consiliis &c.* Jesai. XL, 13. coll. Rom. XI, 33. Job. XV, 13. Jerem. XXII, 18. Sap. IX, 13. Viri θεόντευσοι fuere quidem Numinis Summi legati & oratores, neutiquam vero consiliarii, si vocem hanc in sensu proprio acceptes: Ideo soli nostro Immanueli competit hæc dignitas, quod sit unicus & solitarius patris sui consiliarius. Qui in arduo redentionis negotio dixit: *Torcular calcavi יְהוָה וְעַמְּךָ אַנְתָּךְ SOLUS EGO & de populis non est quisquam tecum, Esai. LXIII, 3.* neminem habet penes se in consiliis apud patrem. Est etiam Optimus Consiliarius. Terreni consiliarii, intemerata pietate & veræ religionis principiis vacui, interdum rebus maxime prospiciunt suis, subditorum salutem vilipendentes, sed divinissimo nostro Consiliario miserorum hominum salus curæ tantum fuit cordique. Prævidit ab æterno miseriam, quam homines per lapsum sibi essent contracturi, hinc etiam ab æterno consilium dedit de illis recipiendis in gratiam. Et cum nulla via, nullumque medium, quo interveniente læsa pars, h. e. Divina majestas placari queat adinveniri potuerit, fecit, quod fidissimus principis consiliarius facere assolet, qui & pro honore domini sui & pro salute populi laborans, se ipsum haud raro sponsorem constitui patitur. Patri ratione Christus Jesus mediator noster fieri voluit inter Deum atque homines, i. Tim. II, 5. Hujus, si essentiam & gloriam consideres, similem sui habere non potest. Venita patre suo e regia cœlesti ad nos terricolas, & consilium Dei nobis abundantiter exposuit, rursus ad Eundem per ascensionem se contulit, sedens ad dextram patris sui, a nostris etiam stans partibus usque ad consummationem seculi.

S. VIII.

Ulterius, si cum duabus Christi naturis nomen hoc conferamus, videbimus, eundem qua utramque ita dici mereri. Fuit enim Dei patris sui cœlestis consiliarius statim in creatione. Quando Deus Pater in deliberationem advocabat filium cum Spiritu Sancto: *Faciamus hominem &c.* Gen. I, 26. ex hoc Sacro Sancto Consiliariorum & opificum concilio, jam antea filius in productione hujus universi se satis manifestarat. Est extra controversiam, divinum scriptorem Mosen, quotiescumque in sua genesiologia utitur phrasim: *καὶ dicebat Deus*, insinuare λόγον ὑποστατικόν. Quamvis enim verbum καὶ iustum atque mandatum divinum denotet, Ps. XXXIII, 9. 2. Cor. VI, 6. aderat tamen cum eo etiam simul & operabatur verbum patris substantiale, virtus altissimi. Hinc in N. T. Christo, ut τῷ λόγῳ, creatio hujus universi multoties tribuitur. Loca Joh. I, 1. 3. 1. Cor. VIII, 6. Ephes. III, 9. Col. I, 16. & innumera alia luce meridiana sunt clariora.

S. IX.

Quum ergo Filius Dei propter id, quod est Consiliarius Patris κατ' ἐξοχὴν & in sensu eminentissimo ὁ λόγος Verbum, tam in V. quam N. Instrumento appellitetur, mihi etiam hoc succurrit, quod Reverendæ Antiquitatis Patres crediderint, Deum etiam ab initio, per filium, ut pote Consiliarium suum, locutum fuisse cum primis parentibus post deploratam apostasiam. Quod quidem ideo factum rectissime arbitramur, quia Christus est mediator, qui pro genere humano, ab eo statim momento, quo per lapsum, in detestabilem illum misericarum abyssum atque barathrum se turpissime præcipitavit, intercedere incepit adeoque consiliarii cūjusdam populo bene cupientis mores induit, qui principi suo continuo suadet, ut ne rebelles aut præfractos subditos funditus evertat, sed exspectet eorum resipiscentiam. Quæ consiliarii cœlestis pro nobis cura eleganter illustrari potest ex parabola ab ipsomet proposita Luc. XIII. 6. 7. 8.

## §. X.

Variis appari-  
tionibus

Accedunt variæ apparitiones Filii Dei ante incarnationem, quibus satis prodidit superque, se esse consiliarium Dei. Sic apparuit Hagari, (Gen. XVI, 8 14.) eidemque de reditu ad Saram dominam, author fuit, addita promissione, de edendo filio & ejus semine multiplicando, quare etiam ea ipsa professa est יְהֹוָה תִּהְיָ אַתָּה Tu es Deus me videns. Brevi post ad Abraham & Saram, venit & huic steriliū & effectorum conjugum pari prolem pollicitus est. Gen. XVIII. v. 1-16. neque minus Lothum invisit eundem admonens, ut fuga repentina sibi suisque consuleret, propter imminentia perditissimæ Sodomæ, judicia divina. Gen. XIX, 1. sqq. Mitto brevitatis studio innumera fere alia. Sicuti princeps mandata sua populo per consiliarios manifestat, ita promulgatio Decalogi Exod. XX. etiam per Christum ὁ σταύρος fidissimum & Secretissimum. Consiliarium, fieri debuit.

Et pro-  
mulgatio-  
ne legis.Unde no-  
men  
מְלֵאָה &

repla-

## §. XI.

Requisitum consiliarii pernecessarium, quin proprium ejus est in quarto modo, prudentia atque sapientia. Et certe eadem hæc subest ratio, cur Christus Consiliarius Dei in utroque fædere, non sapiens, sed ipsa sapientia audiat. Delector effato Salomonis, Prov. I, 20. תִּבְרָא sapientia in plurali, seu confluxus, sedes fons, & origo omnis sapientiæ, i. e. ut methaphrasce plurimi reddiderunt; *Summa sapientia foris recaniat, in plateis vocem suam edit.* Et o quam emphatice idem propheta Prov. VIII, 12. nostrum secretissimum Dei consiliarium ita loquentem sistit: אָנוּ הַכֹּתְרִים שְׁכָנָתְּךָ עַמְּךָ וְעַמְּךָ אָנוּ אַתָּה אָנוּ אַתָּה Ego sum sapientia, cohæro astutie & scientiam summae solertiæ præsentem habeo. Addantur v. 14. 22. 23. Iehovah posidebat me in principio via sue ante opera sua, ante ullum tempus. Ante seculum inuncta fui, ante principium, ante primordia terræ &c. Ecquis inde novum non potest desumere argumentum, universum hoc, eandem condidisse σοφίαν. Hoc enim nomine in Græco codice gaudet 1. Cor. I, 24. η τε θεος σοφία, & rursus eodem v. 30. factus nobis est a Deo η σοφία sapientia. Enim vero in ipso reconditi sunt

sunt omnes thesauri sapientiae atque intelligentiae. Coloss. II, 3. Ideo etiam in V. per prophetas, & in Novo Testamento per suos discipulos, Evangelistas atque Apostolos fuit locutus, spiritu suo sancto eos instruxit & patris sui voluntatem conceptis verbis, quin verbis ab ipsomet Spiritu summo edocetis, revelavit, ut Dominus satis affabre & clare indicavit Math. X, 20. *non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri is est qui loquitur in vobis.*

## §. XII.

Et quid tandem dicam de sustentatione & conservatio-  
ne hujus universi. Nonne hic Dominus noster Jesus Christus continuo consiliarii vices sustinet apud Patrem? *In conserva-*  
Confirmat hoc testimonium Pauli Ebr. I, 3. ubi filius Dei omnia φέπει id est portare, ferre, sustinere, moderari, regere dicitur, ne quid collabatur aut intereat. Itane conservatio & gubernatio rerum creatarum huic divinissimo consiliario tribuitur? Omnino. Id quod idem Apostolus επαναδι-  
δαντος explicat uberioris Act. XVII, 28. εὐ αὐτῷ φέμεν νοῦ κα-  
νιγεθα ναὶ ἐσμέν. *In ipso vivimus, movemur & sumus.* Si-  
gillatim, si consideremus ecclesiæ conservationem, ubi ser-  
vos suos consilio suo sapientissimo, mirabili & imperscu-  
tabili fortiter protegit, munit atque defendit, sicuti Propheta testatur Esaï XXVIII, 29. *וְשָׁׁמַחַת לְבָדָקְתָּן תְּבָנָה מִרְמִיכָא וְבָנָה מִרְמִיכָא* *consilium magnificavit essentiam.* Observare licet, neminem in horum verborum translatione feliciorum fuisse nostro Luthero, qui Spiritus S. sensum ita μεταφέγγει: *Sein Rath ist wunderbarlich und führet es herrlich hinaus;* Contra vero diaboli & hostium consilia introposcit, suoque temere potentissime dissipat atque confundit, ut in actum traduci nequeant, ut discere est ex luculentissimis testimoniorum Jesai. VIII, 10. *Initi consilium & irritum fiet: loquimini verbum & non existet, nam Immanuelis existet verbum.* Ps. XXXII. 10. *Je hovah irritum facit consilium genium, infringit cogitationes populorum.* Prov. XXI. v. 30. *Non est sapientia, neque intelligentia, nec consilium contra dominum.* *Quandoquidem*

*In conserva-*  
*tionem*  
*hujus uni-*  
*versi.*

*Et specia-*  
*tim Ecclesie-*  
*sie.*

44.  
43.  
42.  
41.  
40.  
39.  
38.  
37.  
36.  
35.  
34.  
30.  
31.  
32.

doquidem solus ipse Deus noster dicere potest: *Consilium meum stabit & omnem voluntatem meam faciam.* Elai. XLVI, 10.

## §. XIII.

Jam si officium mediatorium Optimi nostri salvatoris ponderemus, etiam respectu hujus consiliarius Dei patris cœlestis extitit. Constat inter omnes, eum functum fuisse triplici munere, regio, propheticō & sacerdotali; secundum unumquodque tale munus Patri suo fuit & adhuc est a consiliis. Rex est in triplici regno, potentiae, gratiae, gloriae. In regno potentiae pater nihil agit & facit sine filio, ut ipsem inquit Joh. V, 17. ο πατήρ με των ορθών σεβαστών ναγώ εργάζουμεν. In regno gratiae gubernatio & protectio Ecclesiæ, ut modo audivimus, demandata est huic consiliario. Dominatur ipse in medio inimicorum Ps. CX, 2. & gentes regit virga ferrea Ps. II, 9. Apoc. XIX, 15. Tandem in regno gloriae, virginis quatuor illi seniores procidentes antethronum ejus abiciunt coronas suas Apoc. IV, 10. unde ipsimet nostro Dei consiliario secretissimo, *millies milleni angeli serviunt.* Dan. VII.

## XIV.

Ulterius, quod officium ejus propheticum concernit, ipse hic æternus Dei filius, gloria Patris sui, effulgentia & imago divinitatis ejus, in gremio ejus sedens, (Joh. I, 18.) non modo patrem suum & ejus voluntatem perfectissima & eminentissima cognoscit ratione, sed etiam nobis eandem manifestavit αὐτοποσώπως, explanavit, docuit atque vindicavit, quin etiam per Spiritum S. a Patre & Filio procedentem, medianibus prophetis, apostolis & martyribus iterum iterumque repetit atque inculcavit. Consiliarii Summorum imperantium amicorum titulo gaudent, ut innumera, quæ ex autoribus profanis adduci possent testimonia, silentii involvam populo, constat de Josepho, quod Monarchæ Ægyptiaci Pharaonis *h. e. amicus & consiliarius intimus* fuerit appellata.

pellatus. Sic enim ONCKEL OS interpretatur: *בְּנֵי יִתְחָרֵךְ וְבְנֵי לְוִי* *Vir cui occulta, revelata sunt.* Gen. XL1, 38-45. Idem de *Samuele, Nathane*, qui regi Davidi erant a secretis, & *Daniele*, consiliario Nebucadnezaris, ad invenire licet: Ex quo etiam fundamento sancti Dei viri divinissimo ejus acti spiritu, pro amicis Dei semper fuere reputati. Sicuti potentissimus quisque in foro soli constitutus monarcha, consiliarii suis, qui intimæ sunt admissionis, arcana cordis imperiique sui, exponit, eosque rursus ad consilia salutaria capessenda & exequenda adhibet, ita usus etiam fuit Rex regum in foro poli, Ter optimus terque maximus Deus, ministerio suorum prophetarum pari modo atque ratione, quæ omnia collineant in Domino nostro IESU Christo conjunctissimo Dei patris sui cœlestis amico, quem ideo gentium Apostolus τὸν ἡγαπημένον Ephes. I, 6. cognominat.

## §. XV.

Sicuti vero amicis regum ea datur facultas atque licentia, ut intercedere possint pro delinquentibus, miseris personis & omnibus iis, qui regia indigent clementia, ita idem populo suo præstiterunt officium omni tempore prophetæ. Vestigia legere licet satis multa, quanti Deus fecerit & aestimarit intercessiones & deprecationes *Jobi, Mosis, Samueoris, Danielis* aliorumque. Atenim vero typi hi erant tantummodo. Augustissimus antitypus, non umbram tantum sed corpus etiam sistens, Christus, prophetarum omnium maximus, pro toto genere humano, quod pretiosissimo suo sanguine ex vinculis infernalibus eripuit, non prius orare & pro nobis interpellare desistet, quam, si post consummata tempora, omnis nostra miseria & indigentia fines suos terminumque erit consecuta. Et hæc ejus intercessio cum proprie ab officio sacerdotali dependeat, etiam propter hoc ipsum considerandus est atque suspicien-

ciendus ut patris paraftata in consiliis. Quin imo eadem intercesio ficerdotalis durabit in omnem æternitatem. Licet enim beatissimi cœlites atque electi semel *ισάγγελοι* facti, peccare, & gratia Dei ac æterna salute excidere minime queant, tendet tamen eo secretissimi Dei consiliarii petitio, ut conserventur in gloria eaque gaudeant atque fruantur sempiternis seculorum æstatibus.

## §. XVI.

*Ufus non nulli prædicti* Res igitur confecta & vindicata satis est in præmissis, & manet hæc divinissima veritas omni omnino exceptione major. CHRISTUS EST PATRIS CONSILIARIUS, UNICUS OPTIMUS ET SECRETISSIMUS, insimul vero etiam NOSTRUM. Angustos huic scriptioni quos posui atque decrevi limites, excedere, nec volo nec possum. Fateor tamen, ea quæ edisserui, primas tantum & tenuissimas esse quasdam lineas, majoris conficiendi operis. Interim oratio mea recipit se ad portum, quin & ipse totus eundem occupo portum, ut asylum miserorum omnium, certissimum, fortissimum, & invincibile, quo indigemus nos omnes, quotquot originem traximus ab Adamo peccatore. Idem hic Adamus consilio Dei non sicut audiens, hinc nec potuit adhiberi in ejus consilium; alter vero Adam, ut Dominus noster Jesus Christus, fratribus suis factus in omnibus similis, nominari non dignatur, quique nobis restituit, quæ in atavo nostro perdidimus, Patri suo in omnibus sicut obedientissimus, ne cruenta quidem morte crucis excepta, inde etiam salutem nostram temporalem, corporalem, spiritualem & æternam promoturus, non modo patri suo Consilia saluberrima & efficiacissima, meritum suum ostentendo & preces nostras ad ipsum deferens.

deferendo suppeditat, sed etiam singulari πληρόπο-  
πια & παρέγνωσια nos induit, omnes necessitates no-  
stras ejus nomine indicare patri. Joh. XVI, 23. 24.  
Vergit hic Salvatoris nostri titulus in nostrum sola-  
tium maximum. O bone Deus! quantas habemus  
Tibi persolvendas gratias, quod talem nobis dederis  
clementissime consiliarium. Nostrum est, ut  
ipsum etiam summa cum attentione animi, cordis as-  
fensione & voluntatis obsequio avidissime audiamus,  
principue verbum ejus maximi semper faciamus, in  
quo nobis omne Dei consilium revelatur & annun-  
ciatur juxta Actorum XX, 27. Sint ejus consilia & te-  
stimonia nostrum gaudium, otium atque negotium,  
in his labor omnis, in his vigilia & somnus repona-  
tur, sint vivi nostri consiliarii, quales Davidi fuisse,  
compertum habemus ex Psalm. CXIX. Absit ut  
cum Amasia, 2. Chron. XXV. 16. Zedeckia, 2. Paral.  
XXVI, 12. aut excœcata Pharisæorum turba, Luc. VII, 30.  
consilium Dei aspernemur & nosmet ipsos perditioni & in-  
teritui exponamus.

TU vero o DULCISSIME DOMINE JESU! sis ma-  
neaque noster semper CONSILIARIUS, in his periculosisimis & Epilogica,  
turbatisimis temporibus, in extrema hac mundi senecta. A TE  
solo consilium auxiliumque venit. Utroque iudigemus nos miser-  
imi. Expectamus TE & amplectimur consiliarium in tam dubiis, ne  
dicam desperatis causis. Meriti TUI nominisque TUI nunquam  
erimus immemores, & vel hoc TUUM nomen, quo & Patri & nobis  
נָא Consiliarius diciamus, nobis est sicut unguentum præstantissi-  
mum in nos effusum. Erige TE, o anima! & ama illud summum  
bonum, applica tibi & appropria toto corde. O Sanctissime, o  
Sapientissime IMMANUEL! nonne TU Consiliarius nobis es,  
ergo etiam clypeus noster, munitio & fortitudo nostra, receptaculum &

;)();( 2

pro-

41.  
42.  
41.  
40.  
39.9.  
38.  
49.  
32.  
32.  
36.  
28.  
35.  
29.  
34.  
30.  
31.  
3

20 DE CHRISTO UNICO OPTIMO ET SECRETISSIMO &c.

propugnaculum nostrum, TE suasore, TE adjutore, ex voto & strenue omnia cedant, oportet. Plaude, gaude ecclesia! quid contristaris patria! Adest, adest celestis Consiliarius o dulce, o suavissimum, o melliferum solatiumque nomen, quod nobis tripudia Salomonea suppeditat Prov. XVIII, 10.

מגָּל שׁוֹ שֶׁ יְהוָה בָּרוּךְ צָדִיק וּבָנָבָבָ:

ArX est, CVrrIte aD hVnC, IeSVs, tVtIs-  
sIMa IVstIs.



Nihil



27.  
Nihil nunc restare amplius autumo,  
quam ut & TE,

PERILLUSTRIS EXCELLEN-  
TISSIME GENEROSISSIME  
DOMINE GRATIOSISSIME,

in hujus Consiliarii summi, sapientissimi & tu-  
tissimi brachia deponam. Idem solus hacte-  
nus fuit Alpha TUUM atque Omega, princi-  
pium, medium & complementum omnium  
TUARUM actionum & consiliorum, Poten-  
tissimo Regi & tot ejus judiciis impertitorum.  
Nunquam alium TIBI constituiſti scopum,  
quam ipsum CHRISTUM, gloriam ejus, re-  
gnum & verbum ejus, orthodoxiam, tranqui-  
llitatem patriæ, scientiarum incrementum.  
Quis ergo miretur, PERILLUSTRIS EXCEL-  
LENTIÆ TUÆ, cuncta semper ex voto ces-  
sisse. AUGUSTISSIMUS noster AUGU-  
STUS, amor & deliciæ generis humani, qui  
)( )( ) 3 veteri

44.  
44.  
41.  
40.  
39.  
39.  
38.  
38.  
37.  
36.  
28.  
29.  
34.  
30.  
31.  
3

(veteri benedicendi formula, sed voto semper novo,) vivat FELICIOR AUGUSTO MELIOR TRAJANO, Indulgentissimus inquam PATRIÆ nostræ PATER, per vestigia Divi PATRIS SUI incedens, ad Salomonistrutinam & formam regiminis, omnia attemperans, *solium suum justitia stabilire sat agit, in que labiis justorum & recte loquentium consiliariorum, Prov. XVI, 12.13.* solus acquiescit, hinc mentem polo agnatam, prudentiam & consilii autoritatem in TE semper amavit, & ejus non dico testis, sed rerum gestarum consiliorumque æquisimus judex extitit, quod TUA, hoc est, sapientis consilia sint ipsa sapientia. Hæc unica & verissima novorum summorumque honorum, quibus TE nuper ornatus amplectimur & sancte veneramur, causa fuit. Faxit Rex Regum hunc regium favorem perpetuum, sicuti TU ipse indies magis magisque de Ejus Majestate, Ejus domo regia, & provinciis, optime mereri allaboras. Tota Saxonia id quidem pro certo habet atque comperto, quod consiliorum TUORUM gubernaculum solam habueris

bueris legem divinam, quamobrem etiam consiliarii cœlestis & ipsiusmet cœli terræque Monarchæ maximi & œcumени gratia in omnibus suffulciris, eademque uteris fortuna ac Josephus, olim ministrissimus ille in aula Pharaonis. *Huic aderat Johovah, & omnia quæ faciebat Dominus secundabat in manu ejus.* Gen. XXXIX, 3. Idem Jova Pater porro etiam, spiritu suo, sapientiæ & intelligentiæ flamme, in omnibus viis & consiliis TUIS TIBI adsistat. Benedicat TIBI TUISque omnibus ex alto omnis benedictionis Dator, Sator, Stator. Fruere omni felicitatis gene-  
re ac cumulo, quo delectari solent Magnates. Confirmet, corroboret atque protegat TE potenti suo brachio Deus. Sospitet ac servet Obadiam Saxonum, una cum Illustri domo & generosissima prosapia, o quam eximio nobilitatis Saxonæ flore! TEque Nestoreos annos vivendo excedere jubeat, donec satur vitæ & felicitatis terrestris, ad patres TUOS collectus & astra petens, splendeas in foro poli quasi splendore cœlesti expansus, qui in foro soli summus

summus justitiae Sacerdos atque Antistes radios  
virtutum Tuarum undiquaque fudisti. In his  
aliisque ardentissimis suspiriis pro **PERILLUS-**  
**TRIS EXCELLENTIAE TUAE** salute omni-  
gena & perennatura, haec tenus vivere assuetus  
sum, in his etiam canescere & ultimum halitum  
emittere me velle, polliceor, ad extremum sub-  
missa animi devotione permanensurus

**PERILLUSTRIS atque EXCELLENTISSIMI  
NOMINIS TUI**

Dabam e Museo d. 30. Jun.  
A. R. S. M DCCXL.

obstrictissimus coram Deointer-  
cessor & servus subiectissimus,

*M. Henricus Engelbertus Schwarzius P.*


Index.

- 1.) Joh. Corri. Dannhauerius de Voto Septuag. & Iud. XI. 30. (1. Ies. & Marc. XI. 26.)
- 2.) Joh. Ad. Ofiander de Davide Danie propositionis accipiente ab Achimelecho Sacerdote sumo ad I. Sam. XXI.
- 3.) Jo. Christ. Nimpf Joh. de Ammoniti a Davide & crudelitate sub iugū misis ad II. Sam. XII. 31. & I. Chron. XX. 3.
- 4.) Christ. Fr. G. Fichtelerus Commentatio super locis II. Reg. II. 12. & XII. 14.
- 5.) Christoph. Matth. Gaffius de litteris Eliae ad locum Regem Iudee, in coeli scriptis ad II. Chron. XXI. 12.
- 6.) Christ. Godofr. Haga. Messias in toto, & confirmandam agere evanđelion huius libri auctoritatem.
- 7.) Gottlob Fried. Gude (a.) de tobo incarnationis Christi Vate. (b.) de Urbe Silem ab Achimelecho sole confusa. (radiente.)
- 8.) Jo. Mart. Chladonius de Virgine Messia contundenti gentes fecit ollam. I. II. 9 in iugis terre motibus.
- 9.) Christoph. Sontagius de Trinitate Veteris Testamenti catholicis I. XXIII. 6.
- 10.) Christ. Erdm. Schumannus de Expiatione hyssopo facta. I. L. 9. (ad II. L. III.)
- 11.) Christoph. Fried. Sartorius de Salute ex Zione, divino adversus malam generis humani qualunque remedio.
- 12.) Jo. Gottlob Ziegler Commentatio Geometrico-Theologica Galoni - LXVIII. Parte prior.
- 13.) — Parte altera.
- 14.) Christoph. Matth. Gaffius in Verba I. LXIX. 22. de Felle Ezei, & stricto Sodio Messia.
- 15.) Rud. Ant. Rotermann (J. P. A. F. Schubert) de Nominis Messiae ante Iacobum filio ad I. LXXXI. 17.
- 16.) Godofr. Hoffmannus (J. P. A. Glaesinger) de Appropinquatione nominis divini ex I. LXXXV. 2.
- 17.) Christ. Gottlob Fried. Wolf. de Summi Epifropi confirmatione in I. LXXX. 18.
- 18.) Rich. Heinr. Reinhardi (J. G. C. S. Georgii) Laudis verbi divini I. C. XIX. conneya.
- 19.) Jo. Fried. Bahrdt de Abstinatione spirituali ad I. C. XXXI. 2.
- 20.) Cern. Fried. Neuauer (J. P. C. B. Michaelis) de Iobone ad latitatem & hortationibz quas libro Coelieth interpretavit, Cap. II. 2. 24. 26. III. 4. 12. 13. 22. V. 17. 18. 19. VII. 14. VIII. 15. IX. 7. 8. XI. 9. 10.
- 21.) Franc. Woesenius Commentatio in Cant. Cant. cum prefissa Iesu quia ostendit Nicomae non esse objectum Cant. Cant.
- 22.) Jo. Suff. Spier de Rationali non confusa ordine Concionum Prophetarum generatione & Ecclesiis preciatione.
- 23.) Christ. Fried. Bauer de Iudeis ut Sodoma & Gomorra futuris ex I. 1. 9. & Rom. IX. 29.
- 24.) Jo. Rud. Fichtingerius de Superstitione Iraelitarum sub quercubus cultu, ad I. 1. 29. Exod. VI. 8. 3. Hof. IV. 13.
- 25.) Wilh. Christ. J. J. Christander de Achab non tam hypocrita quam perfida frontis homine, ad loca I. VII. 12.
- 26.) Joh. Gottlob. Bünckau de Optima inter dispensantes Interpretes sacros diligenda sententia ad I. IX. 2. & I. XXVII. (13.)
- 27.) Henr. Engelb. Schwarzenius de Christo, consiliario Patris unico, optimo, foretissimo ad I. IX. 5.
- 28.) Christ. Bend. Michaelis de Gaudio ex Nativitate Messia. I. IX. 5.
- 29.) Henr. Ann. Leiderhose (J. P. H. G. Schroederi) de Morabitate Ecclesiae hospitio ad I. XVII. 3-5.
- 30.) Jo. Godofr. Ungerus de Papiro practice ad I. XI. 7.
- 31.) Christ. Fried. Bauer de Patro Iesu. n. I. Christi recaro, nec fecero nostros ex I. XIII. 16. & Ephes. III. 14-15.
- 32.) Fried. Sam. Fichtelerus de Divina sermica ad officium Propheticum Vocatione. ad serm. I. 5.
- 33.) — de Statu Eccliae N. F. principia a serm. Cap. III. 14. p. 99. predicto.

34.) Jo. Christ.

- 34.) Io. Christ. Schulzius de Sacrae Scripturae iurijurandi divini in conservando missi ordine fide. ad Sermon. V. 24.
- 35.) Joh. Schaff. Reazius (P. P. C. Hebenstreit) de Achabi atq. Zedecia supplicio. Sermon. XXIX. 22.
- 36.) Joh. Bartholom. Riederer Inquisitio in genuinum profani oraculi divini Sermon. XXVII. 3.
- 37.) Gott. Oesfeld in Illud Theologorum: De et propositi animam ad ducum. Exod. III. 18. 19. Biff. prior  
Biff. posterior
- 38.) — — — — —
- 39.) Io. Rad. Friedlingius de Messia instat saluberrima planta nascituro ad Exod. XXVII. 29.
- 40.) Georg. Henr. Ortmannus de Peccatis per Christi iustitiam absconditis ex Dan. W. 24.
- 41.) Joh. Schaff. Schmidius de Deponitione Fidelium cum Christo. ex Hof. II. 19. 20. <sup>H. G. Maj. 13 (P.)</sup>
- 42.) Joh. Henr. Geriken Examen ingeniosa recentioris Angliae translationis Verborum Hof. VI. 5.
- 43.) Laur. Jo. Sac. Lange (P. P. C. E. de Windheim) in Locum difficiliorum Hof. X. 10.
- 44.) Christoph. Fr. Sartorius de Venturo gentium desiderio ac Templo gloria implendo ad Hagg. D. 6. 7.
- 45.) Cap. Sac. Stuhlius de Conventu S. Pauli in Iehovam transponere per Petrum gratiae precium Zech. XII. 10.
- 46.) Georg. Getharding Illustratio dictorum quorundam S. P. V. T. e lingua Arabica.
- 47.) Io. Heinr. Weland (P. P. H. Michaelis) de Angelo Dei, ad illustranda aliquot V. T. loca.
- 48.) Christ. Lindor. Schlichter de Torture, ejusque qualitatibus, usq; antiquis & emblemata, ad illius varia S. S. loca.
- 49.) Joh. Schenck de Mysterio Thuriis, Fertis jungi solito. (B. Biff. de Oblatione Thuriis, V. Tom. I. ad B. V. T. n. 27)

















dum, errore de Peccato originali se abdicat, eumque in melius mutasse, relatum legimus, clavis script. in h. l. voce *salus* recte scribit: „die ignis, h. e. temptationis, seu in agone, trimentum patietur, h. e. a conscientia adfligetur: & tamen, quia fundamentum tinet, Iesum Christum; per illos angores nimi reducetur ad salutem. „ Reddent tamen rationem die huius vniuersi nouissimi. Tunc enim experientur iudicium discussionis, prout Theologis audit. Quo ipso infirmitate peccata, quae in administrando munere forte contraxerunt, conscientiae ipsorum denuntiantur: ut summam Dei sanctitatem & stitiam peruident; atque hoc modo agnosca

\* Celeberrimus D. I. A. SCHERZERVS in systemate theologico, B. Augustini verbis album adiicit calculi p. 598. quae sic se habent: „cuique opera sua, vel na vel mala, cuncta in memoriam reuocabuntur, mentis intuitu mira celeritate cernentur: ut accipit vel excusat scientia conscientiam. „ Libr. XX. de Dei. C. XIV. Quocum & doctissimus D. I. F. BVDDE consentit in system. theolog. p. m. 667. „ peccata priores, & illis in memoriam redditura, ut eo magis diuinæ sericordiae magnitudinem agnoscant, a vero non horret. „



44.  
44.5.  
41.46.  
40. 47.  
39. 48.  
49.